

fieri potest, ut ad tempus quis sit vel desinat esse filius: et ideo nec ad tempus est adoptio vel emancipatio. Substantiae etiam matrimonii repugnat temporaria in manum conventio, ut nec ista admissa fuerit. Deportatio, damnatio in metallum, mortis civilia genera, nec ad tempus permitti valuit, quia nec naturalis ad tempus mors est. Quid commune habet cum his relegatio? Et iste tamen faber tractat fabrilia huiusmodi argumenta. ^a Quod de ambitu controversitur, et his est coniunctum rationibus, nunc apud me non determino. Facti fides obtinebit. Quid praeterea? Ridet maxime, quod auctor ille putaverit, donationem fieri potuisse re non tradita. At si non probat contrarium, quid cachinnis solvitur? Ego cum meis puto, donationem et a promissione incipere posse. Verum et Cuiacius ponit, dicit tamen, nec rei traditae, ante orationem Severi, mulierem habuisse vindicationem. Sed istud quid contra illa verba? « Lex Aelia iubet, ut rei a marito donatae nec traditae vindicatio non sit mulieri ». An dicunt, quod rei traditae sit vindicatio? Non intelligo. Sunt et alia: quae omnia in Anticuiacio illo plenius: et in praesentia satis per indicem. Immo quoniam in longum nimis iam progreditur sermo noster, facio etiam cum isto finem. Audio a Bodino, Hottomannum in historiis notari. Ego et de responsis dixi.

In lib. de rep. ^b

« ... Quam habet rationem? *Tractat forte alibi: et nos cum ipso videbimus. Obiter dignius id, cur ad tempus fieri potest relegatio, non potest ulla capitis deminutio? quia ratio rell.* » (p. 632 bis). Cf. *Prolegomena*.

^a In editione lipsiensi a. 1721 hic locus ita est emendatus: « *Quid commune cum his relegatio? Haec et reliqua fuerant eius loci; digna sunt iurisconsulto* ». (p. 633). Cf. *Prolegomena*.

^b BODINUS, *De republica*. l. VI.